



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

137 Privilegia plerumque clauduntur cum restrictivis clausulis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

nostræ revocationis, cessationis, irritationis, annullationis, vacationis, decreti, mandati, inhibitionis, derogationis, voluntatis & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum, Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicæ, millesimo, quingentesimo, sexagesimo sexto. Sexto Idus Februarij Pontificatus nostri Anno secundo.

133 Unde si illa etiam indulgentiæ, quæ visitantibus aliquam ecclesiam certis diebus, & aliquid hujusmodi loco pio pro eorum arbitrio, & devotione erogantibus concessæ fuerant, ut quæ quæstionandi facultatem quomodolibet contineant, sub dicta constitutione Pij V. revocatoria indulgentiarum manus adjuvantes porrigentibus concessarum comprehenduntur, ut consulu-
Navar. de pœnit. & remiss. conf. 2. nu. 7. alias conf. 17. nu. 6. par. 2.

134 Quare si id summam pastorum curam postulat, & vigilantiam, ut scilicet videant diligenter, ne hujusmodi aliæve indulgentiæ antiquæ revocatæ denuo per compendia, aut summaria, ipsis inconsultis, imprimantur, aut alio quovis modo in publicum prodeant. Solent enim nonnulli hujusmodi summaria, aut compendia, aliæve indulgentias plenarias revocatas, aut alioqui limitatas Ordinariis inconsultis, vel sub involucrio deceptis, mandare typis, aut exemplaria conscribere, & publicare, quæ licet quandam pietatis speciem præferre videantur; nulli tamen dubium est; sub hoc titulo turpem latere quæstus effe-

ctum. Ideo à locorum Ordinariis hoc potissimum est, & omnino impressoribus inhibendum. Alioqui, quod à Summis Pontificibus in animarum salutem paternæ charitatis officio indulgentur, illis ob paucorum aviditatem abusu in eorum excidium verteretur. Ad quod, & ipsos summos Pontifices maxime invigilasse conspicimus, ut tot constitutiones super hujusmodi indulgentiarum revocatione non semel editæ, & conciliorum super pio indulgentiarum usu promulgata decreta testantur. Quapropter, ubi usu venerit, hujusmodi, vel alia indulgentiarum genera in diocesi publicari, non prius eas imprimendi, aut publicandi Episcopus alicui facultatem facere debet, quam ipsa viderit originalia, ex quorum lectione perspiciat, an per aliquas clausulas in eis contentas, ipsæ indulgentiæ sub aliqua revocationis comprehendantur.

135 si Quia non creditur referenti, nisi constet de relato, aut si quis in aliquo. C. de eden. & Archid. in cap. quiescamus 42. dist. Debent enim dicta exemplaria, quæ originalia vocant, in omnibus suis partibus, & clausulis à principio usque ad finem perle-
136 gi: nec judicium est ferendum, nisi tota lege perspecta, nam velox consilium sequi solet poenitentia. Abb. in c. ad apostolicam 2. not. de reg. & Dec. in c. cum venerabili, num. 45. de excep.

137 Imò, si ut plurimum privilegia confirmantur, & clauduntur circa finem cura expressæ restrictiva subsequenter, vel æquipollentibus verbis, quatenus sunt in usu, nec fuerint revocata, ac sacris canonibus, & sacro concilio Trident. contraria.